

similiter Ambrae gryseae portiunculae variae eandem quantitatem salis illius acidi non continent; uti videmus in Experimentis *Godfredianis*, ubi in uno phlegma saporem subacidum, salis istius signum indubitabile, in alio saporem habuit salis neutri, & portiuncula illa à D. *Neumanno* examinata plus aliis istiusmodi salis continuit. Sal præterea, quò plus oleo irretitus est, è difficilius separari potest. Eodem modo evenit in Experimentis quibusdam de Calce viva, referente D. *Neumanno* in literis ad D. *Godofredum* datis, ubi scribit, illa aliter in Anglia, aliter in Gallia successisse; unde Gallus quidam eadem reiterans, quæ in Anglia certo modo successerant, cum in Gallia eodem modo non responderent, omnino falsa esse declaravit. Clarissimus *Neumannus* præterea in aliis literis ad Illustrissimum *R. S. Pr. D.º Sloane* scriptis declarat se nolle, quò intelligatur se dixisse (p. 421.) Ambram gryseam esse reverà Succinum, sed tantummodo esse ex genere Succineo, vel Bitumen quidem ad Succinum proximè accedens, quod Ratio fuit veteribus, cum utramque AMBRAM appellaverint, illam *Citrinam*, hanc *odoriferam*. Addit denuo de sale isto acido volatili, cujus granum unum vel alterum obtinuit, se falli non posse, nam in Aqua, uti sal solvebatur, syrupum violarum, uti alia acida, colore tingebat rubro; & volatilis est, quippe qui distillatione ascenderat.